



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Avstreberta Virg. 10. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. AVSTREBERTA VIRG.

10. Februarii.

VNDas puella AVSTREBERTHA cum intueretur, sacro flammeo caput suum vidit involvi. Placuit ea forma superbæ; laudavit speculum; imò ab eo tempore nihil, quàm Parthenonem cogitavit. Quare nuptias cum aliter non posset, fugà elusit, fugæ comitem parvulum germanum trahens. Ventum erat iterum ad aquas, sed quæ ripas egressæ mare fecerant. At illa aquis sancti propositi olim auctoribus non diffidens, non aliter has quàm pratum casto pede calcavit: ita non repugnantibus jam parentibus Agno desponsa promissum multò antè flammeum accepit. Neque prole etsi virgo caruit. Paulo post in cœnobio Pauliacensi matrem virgines salutarunt. Ex his fuit, cui sub noctem vox è cælo accidit, moneret Antistitam, omnes, ut è lectulo se proriperent, juberet. Dictum, factum. In templum ubi convenere, cubiculum corruit, & pro dormiente virginitate vigilare cælum ostendit. Ampliorem etiam hoc curam pro moriturâ AVSTREBERTA habuit. Iam enim animam cum ageret, aliique in auxilium Calites excirent, vidit ipsa omnes eo ordine, quo compellabantur, obvios sibi venire. Quid agimus homunciones?

G dubi-

dubitamus pronos in vota nostra Superos esse, quando per nomina citati adsunt? *Ex Sur. & Lippetoo.*

S. VICTORIA VIRG. & M.

11. Februarii.

Geminum VICTORIA triumphum duxit: de Amore unum, de tyranno alterum. Vter pulchrior fuerit, tute arbiter esto. Anno igitur salutis trecentesimo tertio, quod Christiani & cœtus pietatis causâ agerent, & sacros Codices profano iudici tradere recusarent, Diocletianus & Maximianus Imperatores omnibus tormētis in hos pugnarunt. Sed quidni vincerent Christiani, quando felicissimo omine ex horum parte VICTORIA stetit, virgo in ipsis cunis magna, magnisque signis jam tunc futura sanctitati præludens? Illud unum quantum facinus fuit, cum obstrepente auribus castissimis Hymenæo, sponso mortali in amplexus ruente, ut hos eluderet, quando alas non habuit, animos sumpsit, & è summo recto præcepit abiit, innoxia templum petiit, verbisq; conceptis sponsam Deo se devovit, frustra homine intereâ nubes spargente, quas illa cum rebus aliis humanis dudum reliquerat. Igitur merito de Victoriâ iudex desperavit, & ne à femina triumpharetur, incolamem cum fratre domum ire à tribunali